AMMINISTRAZIONE DELLA PROVINCIA
DI TORINO
BIBLIOTECA
R. - b - 86

R. b. 86

STATVTA ECCLESIÆ CATHEDRALIS CASALENSIS.

AD LAVDEM OMNIPOTENTIS DEI, Beatiſſimæ Virginis MARIAE, ac Beati Euaſij eiuſdem Eccleſiæ Patroni.



CASALI.

Apud Bernardum Graſſum Impreſſorem Ducalem, & Epiſcopalem. 1599.

IN nomine Domini Amen, Anno Natiuitatis eiuſdem: Milleſimo quingenteſimo nonageſimo quinto, Indictione octaua, die verò Lune, decimo menſis Iulij in Veſperis, Conuocato, & cõgregato M. Reuer. Capitulo Reuerendorum DD. Canonicorum Eccleſiæ Cathedralis Ciuitatis Caſalis, in Sacriſtia eiuſdem Eccleſię loco ſolito, & conſueto, coram Illuſtriſsimo, & Reuerendiſſimo DD. Tulio Carreto Dei, & Apoſtolicę ſedis gratia, Epiſcopo Caſalen. & Comite, &c. ibi præſente. Et de mandato & ordine Multũ Reuerẽdi Iur. conſ. Prothonarij Apoſtolici, Domini Flaminij Molæ Præpoſiti. In quo Reueren. Capitulo interfuerunt dictus D. Præpoſitus, Multum Reuer. Iuriſconſultus Dominus Ioannes Baptiſta de Philippis Archidiaconus, Reuerndi Domini Franciſcus Tarachia, Annibal à Turre, Petrus Maria Orella Prothonotarius Apoſtolicus, Bartholameus Regatinus, Franciſcus Bremius, Io. Iacobus Corrarius Prothonotarius Apoſtolicus, Antonius Calletus, Bartholameus Magnetus, Hieronimus Calcaneus, Lucius Octauius Paſtronus, Mathæus de Paulis, Alphonſus de Dauide Pœnitentiarius, Fabius Bonadeus Iuriſconſultus, Scipio Ferragatta Theologus, Annibal Baius, Proſper Fixus, & Ioannes Bicoca, Coadiutor Reuerendi Domini Io. Iacobi eius patrui pariter Canonici, totum Capitulum ipſum repreſentantes, abſentibus tantum Reuerendis Dominis Cæſare Camanea, & Io. Baptiſta Scamutio etiam Concanonicis. Cum ſit, vt ibi aſſertum fuit, quòd ſtatuta antiqua ipſius Eccleſiæ Cathedralis ex pluribus de nouo contingentibus, pro varietate temporis egerent reformatione pro maiori cultu diuino, & vtilitate ipſius Eccleſiæ, ac plura ideò forent de nouo ſtatuenda, prout iamdiu fuerat per ipſum Reuerendum Capitulum deliberatum, & etiam per Reuerendiſſimos Viſitatores Apoſtolicos ordinatum, ipſa ſtatuta fore reformanda, & de nouo, quæ neceſſaria, & expedientia cultui, regimini, & adminiſtrationi ipſius Eccleſiæ viderentur, ſtatuenda, adeout in poſterum certa, rationabilia, & perpetuò obſeruanda, iuxta diſpoſitionem ſacrorum Canonum eſſent in ipſa Eccleſia ſpecialia ſtatuta. Propterea præfati DD. Præpoſitus, Archidiaconus, & Canonici ibi capitulariter congregati vnanimes, concordes, & eorum nemine diſcrepante, (excepto dicto Domino Dauide Pœnitentiario non conſentiente reſpectu vndecimi, & duodecimi capitulorum), cum auctoritate, & præſentia dicti Illuſtriſſimi, & Reuerẽdiſſimi Domini, omnibus maturè conſideratis; abrogantes imprimis, & ante omnia quæcunquè alia ſtatuta ipſius Eccleſiæ infraſcriptis contraria vel diuerſa, condiderunt, & condunt pro vtilitate dictæ Eccleſiæ, infraſcripta videlicet.

I.

DE AETATE REQVISITA PRO OBTINENDO CANONICATV.

PRIMO igitur præfati Multum Reuerendi DD.Præpoſitus, Archidiaconus,Canonici,& Capitulum, ne dicta Eccleſia debita ſeruitute fraudetur, inhęrentes præſertim antiquiſſimæ conſuetudini eiuſdem Eccleſiæ, ac diſpoſitioni ſacroſancti Concilij Tridentini,conſtituerunt, & ordinauerunt,ſtatuunt, & ordinant,quòd nullus de cętero cõſequi, vel obtinere poſſit Canonicatum,& prębendam canonicalem,niſi ſit ſaltem in ea ætate,quòd poſſit infrà annum à die adeptæ poſſeſſionis dicti Canonicatus,& præbendæ, vel qua per eum ſteterit, quominus adipiſcatur, promoueri ad ordinem Subdiaconatus, alias quòd prouiſio, & collatio quauis auctoritate facta, ſit ipſo iure nulla,& perindè talis Canonicatus, & præbenda impetrari,& conferri poſſit,ac ſi nulla fuiſſet de eo,vel ea facta prouiſio.

II.

DE OBSERVANDIS A PROVISIS DE CANONICATIBVS.

ITem ſtatuunt, & ordinant, quod antequam aliquis quauis auctoritate prouiſus de Canonicatu, & ſua præbenda in dicta Eccleſia, poſſeſſionẽ eiuſdem Canonicatus adipiſcatur, & vt Canonicus recipiatur, teneatur, & debeat literas, ſeu Bullas authenticas præſentare in dicto Capitulo, vt poſſint videri, & inſpici,ac deinde copiam authẽticam,& collationatam penes dictum Capitulum dimittere,& tradere proprijs expenſis,cõſeruandam perpetuò in Archiuio eiuſdem Capituli, & ſimul etiam per ſe, vel per legitimum Procuratorem, teneatur præſtare iuramentum in manibus dicti Domini Præpoſiti, ſeu eius,qui illius vices iuxta ſtilum dictæ Eccleſiæ geret,de obſeruandis ad vnguem omnibus,& ſingulis ſtatutis,& laudabilibus conſuetudinibus dictæ Eccleſiæ, & ibidem prout & in manibus ordinarij; facere profeſſionem fidei iuxta conſtitutionem felicis recordationis Pij Papæ Quarti, & poſt adeptionem dictæ poſſeſſionis, tradendam de mandato dicti Capituli, ſoluere, & exburſare Reuerendo Miniſtro Sacriſtiæ,duplam vnam auri Hiſpaniarum expẽdendam in vtilitatem dictæ Sacriſtiæ, arbitrio Miniſtri, qui pro tempore erit, prout ita fuit ab immemoriali tempore citrà ſeruatum.

III.

QVOD MOTA LITE ANTE ADEPTAM POSSESSIONEM CANOnicatus, *prouiſus non fruatur diſtributionibus, ſecus ſi poſt.*

ITem ſtatuunt, & ordinant, quòd ſi alicui Canonico in ipſa adeptione poſſeſſionis, Canonicatus, & præbendæ moueatur ſuper eo, & ea per alium lis, adeòut ab initio non ſit pacificus poſſeſſor dicti Canonicatus, non poſſit ille,durante lite predicta,participare de diſtributionibus quotidianis eiuſdem Eccleſiæ, etiam ſi reſidentiam facere vellet,nec vocem

in

in Capitu'o habeat, niſi expreſsè à ſede Apoſtolica aliter ſancitum fuerit. Si verò alicui exiſtenti in pacifica poſſeſſione alicuius Canonicatus inferatur per alium lis, cum poſſeſſor ſit in ſua poſſeſſione tuedus, quod lite tali pendente, nihilominus poſſit reſidendo conſequi diſtributiones, & vocē in Capitulo habeat, donec à poſſeſſione fuerit iudicialiter amotus, vel aliter cauſa terminata.

DE HEBDOMADA PROBATORIA FACIENDA.

4 ITem ſtatuunt, & ordinant, quòd antequam prouiſus quauis auctoritate, ſiuè Apoſtolica, ſiuè ordinaria, aut dicti Capituli, de aliquo Canonicatu, & præbenda in dicta Eccleſia, poſſit participare de diſtributionibus quotidianis, habere vocem in capitulo, & alia conſequi, quæ ad iuris Canonicatus plenitudinem pertinere noſcuntur, teneatur, & debeat prius petere in dicto capitulo, quod ſibi aſſignetur certa hebdomada probatoria, & offerre ſe paratum, vt poſſit per deputandos à dicto Capitulo de eo periculum fieri, an tàm literis, quàm cantu ſit idoneus ad illam peragendam, quam deinde hebdomadam probatoriam aſſignatam, teneatur integrè, hoc eſt à Veſperis Sabbati incluſiuè vſque ad nonam alterius Sabbati ſequentis hebdomadæ, pariter incluſiuè, interueniendo cōtinuè horis Diuinis, facere, & perficere, hoc eſt incohare officiū in ſingulis horis, & ducere, & intonare omnes, & quoſcūq; pſalmos, antiphonas, hymnos, introitus, graduales, offertoria, aliaq; omnia intonanda tàm in horis, quā in Miſſa, & Veſperis, & ſubire ea omnia onera, quę aliàs ſpectarent, tàm maiori, quàm minori Cantori, legere lectiones ad matutinum, & ſeruire in ordine Subdiaconali in Miſſa magna; quam ſi perficere noluerit, vel non potuerit, ſub quouis colore, vel cauſa, vel in præmiſſis defecerit, tàm committendo errores, quàm in non interueniendo horis, & ita non fecerit ille probatoriam hebdomadam per Capitulum approbatam, habeatur perinde dictus prouiſus, ac ſi illam hebdomadam non feciſſet, vel inchoaſſet, & teneatur aliam pariter à dicto Capitulo aſſignandam facere, quam laudare, & approbare ſemper, & in omni caſu ſpectet, & pertineat ad dictum Capitulum, eius arbitrio, habita ratione, an rectè talis Canonicus, & ritè tàm in legendo, quàm in pſalendo, cantando, & intonando, & cetera onera vtſupra ſubeundo, talem ſeptimanam fecerit. Hoc inſuper addentes, inhærentes ordinationi Reuerēdiſs. Viſitatoris Apoſtolici, & antiquiſſimæ conſuetudini dictę Eccleſiæ, quòd nullus de cetero admittatur ad diſtributiones quotidianas, & vocem in Capitulo ex gratia, priuilegio, vel alia quauis cauſa, etiamſi vellet continuè intereſſe horis Canonicis, niſi prius hebdomadā probatoriam, vtſupra, fecerit, & fuerit illa per Capitulum laudata, & approbata, & quòd interim dùm talis Canonicus fecerit dictam Septi-

manam, & in ea etiam, non participet de dictis diſtributionibus, tàm quæ dietim cadunt, quàm quæ diſtribuuntur in fine anni, ſed tunc demùm incipiat haberi pro reſidente, & participare de dictis diſtributionibus, dicta hebdomada facta, & approbata vtſupra; Et tunc teneatur ſtatim ſoluere, & traddere Reuer. D. Miniſtro fabricæ, ſcutos decem de groſſis centumocto pro ſingulis, expendendos in vtilitatem fabricæ, & commodum Ecclesiæ. Quos quidem ſcutos decem applicandos fabricæ, prout etiam, & duplam vnam Hiſpaniarum applicandam Sacriſtiæ teneantur ſoluere etiam Domini Prępoſitus, & Archidiaconus, vtſupra in Canonicis diſpoſitum eſt.

QVOD ARCHIDIACONVS AD HEBDOMADAM *probatoriam teneatur.*

5 ITem quòd prouiſus de Archidiaconatu non admittatur ad diſtributiones quotidianas, niſi prius fecerit ſuam hebdomadam probatoriam, cantando, & celebrando quolibet die Miſſam magnam, & ducendo officiū, vt ſolent reliqui in ordine ſacerdotali conſtituti, illaq; hebdomada fuerit laudata, & approbata per Capitulum; Ordinantes pariter, & ſtatuentes, quòd nemo ex dictis Dominis audeat proponere, vel tractare in dicto Capitulo aut extra, quòd quis ſiuè Dominus Archidiaconus vtſupra, ſiue prouiſus de Canonicatu, admittatur ad diſtributiones, niſi prius fecerit, & perfecerit ſuam hebdomadam probatoriam, in omnibus, & per omnia vtſupra in ſtatuto, vt etiam ab antiquiſſimo tempore citrà ſeruatum fuit, aliàs ſit priuatus eo ipſo voce in Capitulo actiua, & paſſiua per menſem, & alias incurrat pœnas indictas per Reuerendiſſimum Viſitatorem Montilium capite nono.

DE LOCO, ET PRAECEDENTIA PROVISORVM DE CANONICATIBVS.

6 ITem ſtatuunt, & ordinant, quòd de cœtero omnes, & ſinguli Canonici in dicta Eccleſia admittendi, quoquo modo, ſiuè per liberam reſignationem, ſiuè per collationem Apoſtolicam, ſiuè ordinariam, vel Capituli, & etiamſi per coadiutoriā, vadant, & ſideant in vltimo loco, tàm in Choro, quàm in Capitulo, & proceſſionibus, & eis in adeptione poſſeſſionis vltimus locus aſſignetur, in quo, & in ordine Subdiaconali, teneantur, & debeant ſuam ſeptimanam probatoriam facere, & in Choro perſiſtere, donec alijs Canonicis antiquioribus cedentibus, vel decedentibus gradatim aſcendere valeant, Et ſi reperiatur quis in poſſeſſione alicuius Canonicatus nondum tamen fecerit hebdomadam probatoriam, ſi alius poſt, etiam de aliquo Canonicatu prouideri ſibi obtinuerit, feceritq; prius hebdomadam probatoriam per Capitulum laudatam, is præcedere debeat, licèt vltimò receptus, tàm in Choro, quàm

in

in Capitulo, & alibi, alium ſiuè alios, qui & ſi prius adepti fuerint poſſeſſionem Canonicatus, nondum tamen dictam hebdomadam fecerint.

DE RESIDENTIA ET DISTINCTIONE HORARUM SEU PUNCTORUM.

7 ITem ordinant, quòd omnes Canonici teneantur perſonaliter intereſſe diuinis, & Canonicis horis, & pſallere, & canere, prout tempus, & occaſio tullerit, induti ſuper pelliceo, & Almutia, excepto matutino in diebus non ſolemnibus, in quo non ſolet deferri Almutia, & cùm ab antiquiſſima conſuetudine dictę Eccleſię approbatum ſit, quòd quilibet dies & eius horæ diuinæ diſtribuantur in quatuor punctis, altero ſcilicet pro matutino, laudibus, & Prima, ſecundo pro Tertia, & Sexta, tertio pro Miſſa, & Nona, vltimo pro Veſperis, & Cõpletorio, ordinauerũt, qđ qui ex Canonicis, vel dignitatibus non intrauenerit Chorũ vtſupra indutus, ante finem Inuitatorij in Matutino, vel ante finem primi pſalmi in Tertia, & idem in Veſperis, & ante finem vltimi kirie eleiſon in Miſſa, habeatur pro illa hora, & puncto pro abſente, & non reſidente, & punctetur iuxta ſtilum, & teneantur dicti Præpoſitus, Archidiaconus, & Canonici vſque ad finem dictarum horarum ſtare in Choro vtſupra, nec prius recedant aliàs punctentur, pro illa hora reſpectiuè, in qua defuerint, niſi ex aliqua neceſſitate, vel legitima cauſa illis recedere contigeret, vti reuerſuris.

DE IMMUNITATE NON RESIDENDI, NON CONCEDENDA *præterquam pro negotijs Epiſcopatus, & Eccleſiæ.*

8 ITem quòd ſi quis, ex Dignitat bus, vel Canonicis fuerit impeditus, tàm in Ciuitate, quàm extra Diœceſim pro negotijs Epiſcopi, dictæ Eccleſiæ, vel Capituli, de mandato eiuſdem Capituli, concernentibus tamen principaliter vtilitatem Epiſcopatus, & Eccleſiæ, tali impedimento durante habeatur pro reſidente, extra quos caſus, non liceat Capitulo licentiam alicui Canonico non reſidendi concedere, & ſi conceſſerit nulla ſit, ac inualida, ac præfato Canonico minimè ſuffragetur.

DE ABSENTIBUS INFIRMIS HABENDIS PRO RESIDENTIBUS.

9 ITem quòd ſi contingeret aliquem ex dictis Dominis infirmari, adeoùt nequiret ad Eccleſiã accedere, & reſidere, in quo ſtetur conſcientiæ eiuſdem Domini infirmi, dummodo ſit in Ciuitate, vel vbi eſſet extra Ciuitatem, ſiuè in Diœceſi, ſiuè non, mòdò abeſſet pro ſeruitijs Eccleſiæ, vel Capituli, & de eius licentia, vel pro negotijs Reuerendiſſimi Epiſcopi, vtilitatem tamen principaliter dictæ Eccleſiæ, Epiſcopatus, & Diœceſis concernentibus, habeatur pro reſidente durante infirmitate, Vbi verò

quis à Ciuitate diſceſſiſſet ob negotia propria, vel aliam ſibi voluntariã cauſam, & extra eam in morbum incideret, tunc dicta etiam infirmitate durante, non habeatur pro reſidente, niſi poſtquam ſe ad Ciuitatem deferri fecerit, & tunc incipiat haberi pro reſidente, admonito per eum Domino Punctatore de ſuo in Vrbem aduentu.

DE INFIRMIS PROFICISCENTIBVS AD BALNEA.

ITem quòd ſi aliquis ex dictis Dominis ierit ad Balnea, non habeatur pro reſidente, niſi eſſet infirmus tali infirmitate, propter quam etiam ſi non iuiſſet ad Balnea, non poſſet intereſſe in Eccleſia Diuinis officijs, vel aliàs non poſſet ſanitatem recuperare, quia tunc habeatur pro reſidente, durante infirmitate, & impedimento.

QVOD SEMEL IN VITA LICEAT LIMINA APOSTOLORVM, *& domum Lauretanam inuiſere.*

ITem ordinant, & ſtatuunt, quòd liceat ipſis Dominis vltrà Annum ſanctum Iubilei, ſemel in vita deuotionis gratiã, aut ex voto, petere, ac viſitare Sacram Domum Lauretanam, ac limina Apoſtolorum de Vrbe, ad quod iter peragendum, habeant ſpacium duorum menſium, & non vltrà, quo tẽpore habeantur abſentes ex tali cauſa, pro reſidentibus, & ſuas plene conſequantur diſtributiones. Poſſint autem duo tantum ex dictis Dominis quolibet anno id munus aggredi, recedantq; de licentia ipſius Capituli.

DE FACVLTATE PETENDI ANNO IVBILEI LIMINA *Apoſtolorum, ſeu dictam domum Lauretanam.*

ITem ſtatuunt, & ordinant, quòd Anno Sancto, liceat ipſis Dominis, dictam Sacram domum, & limina inuiſere ac petere deuotionis gratia, & tunc poſſint ſimul quinque ex eis ſimul iter arripere, & perficere, & interim habeantur omnes pro reſidentibus, modò tamen non abſint vltrà duos menſes, ſed illis elapſis punctentur; Quibus reuerſis liceat alijs quinque, eadem loca petere, & inuiſere, & his pariter reuerſis liceat pari modo alijs quinq;, itaut ſic procedatur, donec omnes, qui voluerint, tale iter perfecerint, & ſemper omnes vtſupra habeantur pro reſidentibus pro ſuis duobus menſibus, Quia verò poſſet oriri controuerſia in eligendis illis duobus menſibus, omnibus nitentibus meliores eligere, tunc mittantur ſortes ſuper diſtributione & aſſignatione dictorum menſium, & quibus ex dictis Dominis Præpoſito, Archidiacono, & Canonicis contigerint menſes iuxta ſortes, poſſint & debeant illis menſibus ſi voluerint, tale iter facere, & ita quilibet fruatur immunitate præmiſſa ex dicta cauſa in menſibus, quos ſors, ei tulerit, liceat tamen eis

inuicem

inuicem dictos menſes permutare.

QVOD DISTRIBVTIONES NON RESIDENTIVM VEL DEFICIENTIVM *in Eccleſia, alijs accreſcant.*

13 ITem inhærentes antiquiſſimæ conſuetudini dictæ Eccleſiæ ab immemoriali tempore citrà obſeruatæ, iuridicæq;, & maximè attento, quòd omnes ferè fructus & prouentus Canonicatuum, conſiſtunt in diſtributionibus quotidianis, nec adeſt præbenda vltra valorem annuum quinque florenorum Sabaudiæ, vt etiam ſentientes onus, habeant quid commodi, ordinarunt, & ſtatuerunt, quòd diſtributiones quotidianæ, ſeù portiones ex eis, quas aliàs amiſerint non reſidentes Canonici, ſiuè poſtquam fuerint de Canonicatibus prouiſi, ſiuè ante, vel adhuc ipſis Canonicatibus vacantibus, & tàm ob errores commiſſos in pſallendo, ſeu cãtando, & prout in punctuaria in fine anni reperietur, quam ex alia quauis cauſa, cedant commodo aliorum Dominorum Canonicorum reſidentium, accreſcantq; maſſæ capitulari, & inter reſidentes pro rata diuidantur, prout cœteræ diſtributiones.

DE CAPITVLO SINGVLA DIE VENERIS HABENDO, ET *de pœna reuelantium ibi tractata.*

14 ITem vt valeant tractari, concludiq; negotia dicti Capituli, & Eccleſiæ, ordinauerunt, quòd die Veneris cuiuſlibet hebdomadæ, feſtiuitate non impedita, fiat & congregetur Capitulum in loco ſolito, & conſueto, In quo omnes Canonici, & Dignitates intereſſe debeant, qui reperientur in dicta Eccleſia, hora congregandi dictum Capitulum, & ſi quis monitus neglexerit, & ſine cauſa legitima noluerit interuenire in dicto Capitulo, vel inde eo non completo receſſerit, punctetur ac ſi fuiſſet abſens tota illa die à reſidentia, & ſub eadem pœna teneatur quilibet intereſſe Capitulo ſpirituali habendo vltima die Mercurij cuiuslibet menſis, alijs verò diebus congregetur Capitulum, prout negotia, & res dictę Eccleſiæ tullerint, arbitrio dicti Domini Præpoſiti, ſeu alterius, ad quem id muneris ſpectauerit, & quòd nemo audeat pandere, ſeu reuelare alicui ea quæ ibi tractata, ſeu acta fuerint, tàm circa negotia eiuſdem Capituli, cauſaſuè, quàm circa alia, & minus alicui extraneo ſignificare, quod quiſque ex præfatis Dominis in Capitulo dixerit, & an pro, vel contra, & qui repertus fuerit, quid eiuſmodi reuellaſſe, & retuliſſe extrà Capitulum, amittat pro ſingula vice diſtributiones quotidianas triũ dierum, & alias pęnas etiam priuationis vocis in Capitulo ad tempus arbitrio eiuſdem Capituli pro grauitate negotij luat, & hoc, vt quiſq; ex dictis Dominis valeat liberius conſulere vtilitati dictæ Eccleſiæ, & Capituli, dicatq; ſine timore, in negotio propoſito & tractando, ſuam ſententiam.

QVOD IN ARDVIS DENTVR SVFFRAGIA SECRETA.

15 Item ordinant, quòd in pertractandis, & concludendis negotijs arduis, & ex alicuius reuelatione circa vota cuiuſq; , poſſent ſequi incōuenientia, vel dubitari veriſimiliter poſſet, quòd ob qualitatem rei vel perſonarum, quiſque liberè non auderet ſententiam ſuam dicere, ne indignationem alicuius incurreret, aut quòd alicui contrarius videretur, dentur ſuffragia ſecreta, & ſic fiat deliberatio.

DE OPTIONE DOMORVM, ET ORDINVM.

16 ITem ſtatuunt, & ordinant, quòd vacante de cœtero aliquo Canonicatu, & præbenda, & domo præbendali per ceſſum, vel deceſſum, ſeu priuationem, vel alio quouis modo, poſſit Archidiaconus, vel antiquior Canonicus, iuxta prioritatem temporis & ordinis, optare, attenta antiquiſſima conſuetudine dictæ Eccleſiæ, Domum præbendalem relictam per illum Canonicum, qui tunc ceſſerit, vel deceſſerit, relicta ſua, ſi eā habuerit, quam ſubſequens ſi voluerit optare poſſit, relicta pariter ſua, & ita gradatim ſubſequentes iuxta antianitatem optare dimiſſas valeant ſuis relictis, modo tamen qui voluerit optare, fecerit aliqua melioramēta in domo quam prius obtinebat, & non aliter, aliàs fiat locus ſubſequēti, & hoc pro vtilitate dictæ Eccleſiæ, & vt reparentur domus præbendales, Inhærentes in hoc ordinationi Reuerendiſſimi Viſitatoris Apoſtolici: & pariter valeat Canonicus proximus in ordine illi, qui ceſſerit, vel deceſſerit vtſupra, ſi voluerit optare ordinem, ſiuè Sacerdotij, ſiuè Diaconatus, tunc vacantē, adeoùt decedente, vel cedēte vtſupra, aliquo Canonico in ordine Sacerdotali exiſtente, primus Diaconus in ordine, poſſit optare ordinem Sacerdotalem, & primus Subdiaconus ordinem Diaconatus, prout optaret etiā decedente aliquo Diacono tantū, habita ſemper ratione Antianitatis, & hoc dummodo optare volens reſideat in dicta Eccleſia tempore occurrentis optionis, aliàs ſecus, tàm reſpectu ordinum, quàm Domorum.

DE OFFICIALIBVS ANNVATIM ELIGENDIS, ET DE EORVM MVNERE.

17 ITem ſtatuunt & ordinant, quòd per totum menſem Iunij, cuiuslibet anni, celebrata prius Miſſa de Spiritu ſancto, eligantur, & creari debeant in Capitulo, conuocatis ibi omnibus Dominis Canonicis, de ipſorum omnium, vel duarum partium ex tribus conſenſu, omnes officiales iuxta ſolitum dicti Capituli, & Eccleſiæ, & qui fuerit ad aliquod officium electus, nequeat illud recuſare, licèt ſit abſens, dummodo non ſit extrà Diœceſim, ſed illud ſubire teneatur, ſub pœna priuationis diſtributionum

num

num quotidianarum per menſem, niſi attulerit cauſam legitimam ſuæ recuſationis approbandam per Capitulum, Et quod in calculis fiendis, tam redditúum, quàm punctuationum, de cętero quatuor Canonici eligãtur, duo ſcilicet in Præsbiteratus, vnus in Diaconatus, & alter in Subdiaconatus ordine conſtituti, & omnes officiales electi teneantur, tunc præſtare iuramentum in manibus dicti Domini Præpoſiti, ſeu primi exiſtentis gradatim in Capitulo, de fideliter diligenterque exequendo, & exercendo officium ſuum, & quòd in fine anni de dicto menſe, vel alio pro libito Capituli, teneantur ſinguli ex dictis officialibus reddere rationem per exhibitionem librorum, de omnibus per eos adminiſtratis, receptis, exactis, ſeu diſtributis, & expenſis, ſincerè, & explicitè in manibus deputatorum per dictum Capitulum, & ſi quid reſiduum penes eoſdem officiales fuerit, id integrè eidem Capitulo, ſeu futuris, vel iam electis officialibus pro anno ſequenti, infrà vnius menſis ſpatium à die dictæ rationis præſtitæ, reſtituere & conſignare, alioquin interim habeantur pro non reſidentibus, nec vocem in Capitulo habeant, non admittendi, donec integrè omnia præſtiterint, & ſub eadem pœna teneatur quilibet infrà prædictum terminum, cõſignare librum ſuæ adminiſtrationis in Capitulo, ſeruandum in Archiuio eiuſdem Capituli.

DE CONFABVLATIONIBVS, RIXA, ET INIVRIIS IN CHORO, *& Capitulo euitandis, & ſecretis Capituli non pandendis.*

18 ITem quòd Punctatores, eos omnes, qui Canonicas horas non recitant, confabulantur, literas legunt, ſeu in Capitulo rixantur, verba parum decentia, ſeu iniurioſa proferunt, ſeu alio quouis modo decretis Viſitationis Apoſtolicæ deſuper confectis contraueniunt, ſecreta Capituli laicis reuelant, iuxta eiuſdem viſitationis decreta punctent, & in iuramento per eos præſtando, hæc omnia ſeruare promittant, & in euentum inobſeruantię, pœnas impoſitas à Viſitatoribus ſubeant.

DE MVNERE MINISTRORVM FABRICAE, ET *Luminariæ, in exigendis redditibus.*

19 ITem quòd Miniſtri fabricæ, & luminariæ, teneantur durante anno ſui officij, exigere omnia & quæcumq; nomina debitorum, & alios redditus, & prouentus dictæ fabricæ, & luminariæ, & ita in fine anni reſtituere, & conſignare in manibus deputandi per Capitulum, ſeu ſequentis officialis electi, dictos redditus, & pecunias exactas, & quæ nõ fuerint expenſæ in vtilitatem ſuorum officiorum, Si quis verò in dicto ſui officij anno, aliquod nomen debitoris, ſeu creditum eiuſdem officij non exigerit, teneatur de proprio tantumdem ſoluere eidem officio, & eius eligendo Miniſtro, & ita per Maſſarium ad ratam retineantur illi diſtributiones, niſi feciſſet, quicquid poſſet etiam in iudicio contra talem

debitorem, faciendo eum condemnari, & contra eum executionem fieri, & tamen non potuiſſet tale creditum conſequi, quia tunc modò cōſignet illud nomen in libro, excuſetur.

QVOD IN CONFICIENDIS LISTIS DISTRIBVTIONVM *ſeruetur æqualitas, & ante eas receptas non fiat exactio.*

20 Item ſtatuunt, & ordinant, quod Reuerend. Dominus Maſſarius Capituli, ſeu Collegij Miſſarum, vel etiam Anniuerſariorum in conficiendis liſtis, & aſſignandis nominibus debitorum Dominis Præpoſito, Archidiacono, & Canonicis pro rata ſuarum diſtributionum, habeat rationē omnium debitorum, ne deteriores omnes, vel pro maiori parte aſſignētur alicui vel aliquibus, & meliores alijs, ſed curet equa lance rem temperare, ne aliquis grauetur vltrà debitū, nequeat autem Dominus Præpoſitus, Archidiaconus, vel quis ex Canonicis ante receptam à Maſſario liſtam, aliquem debitorem exigere, ſub prætextu, quòd illius nomen fuerit fortè annis elapſis ſibi aſſignatum, vel ſub ſpe, quòd ſibi aſſignetur, & multominus ſi nomen illius debitoris iam fuerit alteri aſſignatum per Maſſarium, & ſi quis contrafecerit, (niſi id ſibi fuerit à Reuer. Domino Maſſario conceſſum) amittat diſtributiones quotidianas quindecim dierū, & pro his habeatur pro nō reſidente; & teneatur infra terminum ſtatuendum à Capitulo, exacta reſtituere, & conſignare in manibus Maſſarij, aliàs elapſo termino punctetur, & habeatur pro non reſidente, donec plenè ſatisfecerit, & ſub eiſdem pœnis, ac etiam priuationis vocis actiuę, & paſſiuæ in Capitulo, arbitrio Capituli. Statuerunt, quòd nemo audeat alienare, diſtrahere, occupare bona mobilia, vel immobilia, iura, & actiones eiuſdem Eccleſiæ, & hoc vltrà pœnas aliàs cōtra tales delinquentes per Canonicas ſanctiones indictas.

DE CLAVSTRO ECCLESIAE NON IMPEDIENDO, ET *mundo conſeruando.*

21 Item ſtatuerunt, quòd nemo ex dictis Dominis præſumat impedire, vel occupare Clauſtrum eiuſdem Eccleſiæ, & eius ambitum, vel in illud, illumuè immunditias, fimum, vel etiam ſcopaturas domus, ſeu cementa, lapides, vel alia deferre, iactare, & ponere; Si quis verò repertus fuerit huic ſtatuto contrauenire, vltrà quod teneatur proprijs expenſis illuc iactata, & proiecta tollere, & mundare locum, amittat pro qualibet vice diſtributiones quotidianas trium dierum, & potius curent omnes unanimes, quod dictum Clauſtrum, & cœteræ partes eiuſdem Eccleſiæ mundum mundæuè conſeruentur, & conſiſtant.

DE DOMIBVS PRAEBENDALIBVS CAVPONIBVS ET *perſonis malæ conditionis non locandis.*

22 ITem quòd nemo, ex Dignitatibus, ſeu dictis Dominis valeat locare, vel alio quouis titulo ad habitandum concedere domum ſuam præbendalem alicui perſonæ ſcandaloſæ, inhoneſtæ, ſeu malæ conditionis, & vnde oriri poſſit ſiniſtra ſuſcipio, aut etiam cauponibus cauponam exercentibus, & aliter facti contractus nulli ſint, & irriti, & ipſe Dominus contrauenìens, vel locator vtſupra, pro quolibet huiuſmodi contractu, & qualibet vice incidat in pœnam ſcutorum ſex applicádorum Sacriſtiæ, Si tamen veriſimiliter notitiam habere potuerit ab initio, conditionis illius perſonæ, aliàs ſecus, ne innocens mulctetur, teneatur tamen omni caſu infrà ſex dies, à die admonitionis fiendæ per Capitulum, tales perſonas prohibitas expellere ex dictis Domibus, alias vltra præmiſſam pœnam, termino prædicto elapſo, habeatur pro non reſidente, donec prædictas perſonas expullerit, vel fecerit in iudicio, quicquid potuerit.

DE IMMVNITATE NON RESIDENDI VLTRA XXV. DIES *cuiuſque menſis, & de proceſſionibus habendis.*

23 ITem inhærentes antiquiſſimæ conſuetudini dictæ Eccleſiæ ab immemoriali tempore citrà, & per ipſum tempus obſeruatæ, confirmatæq; per aliud dictæ Eccleſiæ ſtatutum conditum de anno 1541. die 5. Februarij, iuridicæq;, & ęquæ, tum quia cœteræ omnes Cathedrales circumuicinæ & aliæ, in eiſq; obtinentes Dignitates, vel Canonicatus, habent certos dies cuiuslibet menſis, imò & integros menſes vacationis à reſidentia, & tamen modo reſederint per aliquod anni ſpacium, habentur pro reſidétibus toto anno, & ita diſtributiones, & fructus omnes integrè conſequuntur, tùm etiam quia ab initio in hac Eccleſia diſtinctæ, & optimæ extabant præbendæ, quas ſeparatim, & diſtinctè dicti Canonici etiam non reſidentes obtinebant, earum fructus integrè recipientes, Ipſi verò ſpontè, & nemine impelleute curarunt omnia bona, redditus, & prouentus dictæ Eccleſiæ, & præbendarum conuerti in diſtributiones quotidianas, ſublatis, & extinctis pęnitus ferè præbendis, & earum redditibus, itaut nulla præbenda Canonicalis excedat nunc annuum redditum, ſeu valorem florenorum quinque, vnde cum à dicta conuerſione præbendarũ in diſtributiones citrà ſemper fuerit ſeruatum, quòd Dignitates, & Canonici reſidentes per vigintiquinque dies ſingulo menſe, lucrentur diſtributiones integras, ac ſi per totum menſem reſidiſſent, præſumendum eſt & credendum, hanc vacationem immunitatemque à reſidentia per dictos dies, vltrà vigintiquinque ſinguli menſis, fuiſſe reſeruatã expreſsè ac approbatam, & admiſſam in ipſa conuerſione in diſtributiones, idq; ſic habeat vim contractus, cum etiam de iure immunibus ac liberis, ſe ſponte oneribus ſubijcientibus plures concedi

ſoleant prærogatiuæ,& priuilegia,nullo tempore ex quouis capite,titulo, vel colore, reuocandæ,tollendæ, vel reſcindendæ, reuocanda,tollenda,vel reſcindenda,& ſumma æquitate,vt valeant ijdem Domini negotia ſua pertractare, operamq; rebus ſuis nauare,etiam quandoque tuendæ valetudinis cauſa, Propterea præfati Domini Præpoſitus, Archidiaconus,& Canonici, iam dictum ſtatutum, & conſuetudinem confirmãtes & approbantes, denuò ordinauerunt, & ſtatuerunt, quòd quilibet ex eis teneatur reſidere perſonaliter in dicta Eccleſia per vigintiquinque dies ſingulo menſe,& non vltrà, & ſi quis per dictos vigintiquinq; dies reſederit, habeatur, & ita conſequatur quotidianas diſtributiones, ac ſi per integrum menſem reſidiſſet, prout etiam talis conſuetudo,immunitaſque non reſidendi vltra vigintiquinque dies cuiuſque menſis fuit expreſsè per Sanctam ſedem Apoſtolicam approbata, & confirmata, vt de tali ſignatura conſtat ex notis repertis in libris antiquis dictæ Eccleſiæ; Qui dies vigintiquinque intelligãtur, & capi poſſint in qualibet parte menſis, & quolibet die ac etiam quolibet puncto diei, modò, tamen in eiſdem diebus, & horis non contingat ſimul abeſſe à reſidẽtia pluſquàm dimidiam partem, ex dictis Dominis, Aliàs tunc omnes abſentes punctentur; Et pariter adiecto, quòd dicti dies, horæque, ſeu puncta vacationis à reſidentia, non poſſint accipi in diebus ſolemnibus, ideſt in die Natiuitatis Domini noſtri IESV CHRISTI, cum duobus ſequentibus, In feſto Circunciſionis, & Epiphaniæ, in tribus diebus Paſchatis Reſurrectionis, in feſto Aſcenſionis, ac Pentecoſtes, cũ duobus ſequentibus, Item in diebus Sacratiſſimi Corporis Chriſti, Natiuitatis S. Ioannis Baptiſtæ, Sanctorum Petri, & Pauli, Aſſumptionis Beatę Mariæ, Omnium Sanctorum, & Diui Euaſij patroni noſtri, & eiuſdem Eccleſiæ, ſeu Veſperis præcedentibns ipſos dies feſtos, excluſo veſperi Sabati maioris hebdomadæ quibus diebus,& horis ſi quis non interfuerit,punctetur,& amittat diſtributiones duplicatas, ideſt pro quolibet die & pũcto ex ſupradictis,quo nõ reſiderit,habeatur pro abſente,ac ſi duobus diebus,& punctis alijs reſpectiuè non reſidiſſet,nihil ei patrocinante ſupra dicta immunitate; Et pariter quilibet ex dictis Dominis teneatur accedere perſonaliter ad proceſſiones publicas, & ordinarias,& his intereſſe, videlicet illi quæ ſolet fieri in feſto Diui Marci Euãgeliſtæ,Item in Dominica in Albis pro Monte Pietatis, in tribus diebus Rogationum, in feſto Sacratiſſimi Corporis D. N. Ieſu Chriſti, in feſto Sancti Bernardi, & in feſto Sancti Euaſij, & ſi quas publicè fiendas mandauerit,& decreuerit Sũmus Pontifex; Si quis verò his proceſſionibus non interfuerit amittat diſtributiones totius illius diei, quo fiet proceſſio, & habeatur pro abſente etiamſi inteſuiſſet horis Canonicis,

DE TEMPORE PVLSANDI CAMPANAS AD HORAS.

24 ITem quòd in pulſando Campanas per ſingulas horas, ſeruetur ordo, de quo in tabella poſita in Sacriſtia, niſi aliud pro oportunitate temporis videatur Reuerendiſſimo Domino Epiſcopo, vel ipſi Capitulo.

QVOD QVISQVE TENEATVR SVAM HEBDOMADAM CANtoriæ, *Miſſæ maioris, ſeu Euangelij, & epiſtolæ decantandæ gradatim perficere.*

25 ITem ſtatuunt, & ordinant, quòd Domini Canonici teneãtur gradatim facere ſuam hæbdomadam Cantoriæ, quando eis contigerit iuxta ſtilum eiuſdem Eccleſiæ hactenus obſeruatum, ſiuè eis contigerit Cantoria maior, ſiuè minor, & in ea horis Canonicis, maximè quæ cantantur in Choro intereſſe ſuum officium exercendo, & ſi quis non perfecerit pluſquàm dimidiam ſuæ hæbdomadæ Cantoriæ, pro his diebus, & punctis, quibus defuerit amittat diſtributiones quotidianas, non attenta ſuprascripta immunitate, quinque dierum, vel ſex pro ſingulo menſe vtſupra, & ſi quando Canonicus Cantor defuerit, tunc ſubſequens teneatur illius vices ſubire, aliàs & ipſe punctetur, Pari etiam modo Canonici in ordine ſacerdotali exiſtentes teneantur in ſua hebdomada eis per girum gradatim contingente quottidie miſſam magnam celebrare, intonareq; ac ducere officium in Dominicis diebus, & in feſtis duplicibus in hebdomada occurrentibus in Matutino laudibus, & prima, & in Veſperis, Ad quod pariter teneatur Dominus Archidiaconus, qui pro tempore fuerit, tàm in cantando Miſſam, quàm in ducendo officium in ſua hebdomada proutſupra, vt ſemper fuit ſeruatum; & ita quoque Canonici in ordine Diaconali, vel Subdiaconali exiſtentes, teneantur in hebdomada eis reſpectiuè, & per girum contingente, legere ſeu cantare in Miſſa magna Euangelium, & Epiſtolam, In feſtis quidem duplicibus, & de præcepto (exceptis duplicibus tranſlatis, & in diebus octauarum) Item & in Dominicis per annum inducti Tunicellis ſuper Alba, Alijs verò ſemiduplicibus, & ſimplicibus feſtis, ac ferijs, & infrà octauas induti ſolum ſuper pelliceo, & Almutia, prout ab antiquiſſimo tempore citrà in dicta Eccleſia ſeruatum fuit ad præſenſque ſeruatur, in ſpecieq; ita cautum, & diſpoſitum fuit per ſtatutum eiuſdem Eccleſiæ conditum vſque ſub die tertia menſis Ianuarij 1423. per Dominos tunc exiſtentes Canonicos, & Capitulum, confirmatumque per Reuerẽdiſſimum Epiſcopum Vercellenſem tunc ordinarium huius Ciuitatis, & Diœceſis, Si quis autem non perfecerit ſaltem pluſquàm dimidium ſuæ hebdomadæ, tàm cantandi Miſſam, quàm cantandi Euangelium, & Epiſtolam, pro reliquis punctis dictæ hebdomadæ, quibus abfuerit punctetur, non obſtante etiam ſupradicta immunitate non reſidendi, Vbi autem quis in ſua hebdomada vtſupra defuerit, ſiuè aliquo

tantum

tantum puncto, vel die, ſiuè dimidia, vel vltrà dimidiam hebdomadæ prædictæ, teneatur eum immediatè ſubſequens gradatim, & hoc etiam abſente, alius ſubſequens in loco, & ordine, abſentis vices ſubire, & ſiquidem ille cuius propria fuerit hebdomada perfecerit pluſquàm illius dimidium, illa hebdomada habeatur pro ſua, non obſtāte, quòd in alijs pūctis, & horis, ſubſequens illius vices ſubierit, & ita ſubſequens teneatur aliam hebdomadam ſubſequentem gradatim, & per girum, & quæ aliàs ſua eſſet, perficere; ſi verò ille pluſquam dimidium ſuæ hebdomadæ non perfecerit, ſed ſubſequens, illa hebdomada tranſacta aſſignetur, & cenſeatur illius ſubſequentis, qui pluſquam dimidium perfecerit, nec teneatur aliam facere, & hæc omnia ſeruentur, tàm in hebdomada Cantoriæ, quàm Miſſæ, Euangelij, & Epiſtolæ. Et ſi quādo Hebdomadarius Miſſę magnę fuerit impeditus, itaut nequeat celebrare Miſſam, teneatur in Matutino, vel ſaltem hora congrua admonere Canonicum, & Canonicos ſubſequentes eiuſdem ordinis, vt poſſint, vel poſſit ſe præparare pro Miſſa magna dicenda loco abſentis, ne contingat inopinatò neminem reperiri, qui Miſſam magnam celebret, alias punctetur.

DE SOMNO MVLTILOQVIO, ET ALIIS ALIENIS *à Diuino officio euitandis.*

26 ITem quòd nullus ex dictis Dominis, aut ex Capellanis dormiat, vel garulet in Choro, dum celebrantur, & cantantur Diuina officia, nec aliquis dicat officium tacitè, & de per ſe, nec aliud genus orationis, item non alloquatur tunc longo ſermone aliquem ſecularem, vel clericum, nec det longam audientiam, nec ibi prolixas legat literas, niſi talis ſermo, vel lectura fieret pro rebus, & negotijs Capituli, maximè per Maſſarios, Sindicos, vel alios officiales, ſed ijs occurrentibus cauſis exeat Chorum, & ibi ſua negotia expediat, curet tamen quantò citius ad Chorum reuerti, aliàs punctetur pro illa hora.

DE INCHOANDO OFFICIO, ET DE CANTANDIS, SEV *legendis lectionibus, & reſponſorijs.*

27 ITem ſtatuunt, & ordinant, quòd nullus ex dictis Dominis inchoet officium, niſi ſibi demandetur per D. Præpoſitum, vel per obtinentem, eo abſente, primum locum, exceptis Dominis Canonicis exiſtentibus in ordine ſacerdotali, qui ſuas hebdomadas in ducendo officium vt ſupra, per girum faciunt, & quibus ſuprà ſcriptis horis, & diebus iniunctum eſt onus inchoandi officium; alijs verò horis, & diebus, tàm in ſemiduplicibus, quàm ſimplicibus feſtis, & ferijs ſit ius dicto Domino Præpoſito, vel primo exiſtenti demādare inchoationem offic j, cui libuerit, ſiuè ex Dominis Canonicis, ſiuè Capellanis, & idem procedat in demandandis lectionibus in Matutino, exceptis nocte Natiuitatis Domini Noſtri Ieſu

Chriſti,

Chriſti, cuius matutini lectiones cantantur per Canonicos antiquiores gradatim, itaut penultima lectio ſit Domini Præpoſiti, vltimam cantante Reuerendiſſimo Domino Epiſcopo, ſi præſens fuerit, aliàs eo abſente, quòd poſſit demandari, cui videbitur primò exiſtenti in Choro, ac tribus vltimis diebus maioris hebdomadæ, in quibus cantantur lectiones, tres primæ per Muſicos, reliquæ per Venerabiles Capellanos, ſeu Clericos, Reſponſoria verò in Matutinis dicantur, & cantentur ſi opus fuerit reſpectiuè per Cantores ſecundum hebdomadas Cantoriæ gradatim, niſi alij adſint, qui id muneris ſubeant; Qui verò ex dictis Dominis præmiſſis contrauenerit, vel ſuo muneri defuerit per culpam punctetur pro illa hora.

DE MODO SEDENDI, ET STANDI IN CHORO.

28 ITem ſtatuunt, & ordinant, quòd omnes Canonici, dum cantantur Diuina officia reſideant ſtando, vel ſedendo iuxta oportunitatem temporis in Choro ſuperiori, & in locis ſuis, nec vllus ſtare, & ſedere debeat in Choro inferiori, niſi Cantores hebdomadarij, aut cauſa cantandi ad lecturinum, & quòd nullus ſedeat in Choro, niſi prius intonato Deus in adiutorium, & inchoato primo Pſalmo, & qui contrafecerit in præmiſſis punctetur pro illa hora.

DE INCHOANDIS, ET DEMANDANDIS ANTIPHONIS AD VESPERAS.

29 ITem quòd excepta prima Antiphona primi Pſalmi, & ad Magnificat in Veſperis, quæ ſemper intonanda eſt ab eo, ſiuè à Domino Præpoſito, Archidiacono, vel illo ex Canonicis, qui pro tempore Veſperas inchoauerit, & ducet officium, aliæ Antiphonæ in Veſperis demandentur per Dominos Cantores: In maioribus quidem ſolemnitatibus, antiquioribus ſeu maioribus Canonicis gradatim, In alijs verò diebus feſtiuis duplicibus, & Dominicis demandentur vltimis Canonicis gradatim, pariter in ſemiduplicibus demandentur, vel Dominis Canonicis vltimis, Capellanis in Choro non exiſtentibus, aut ipſis Dominis Capellanis ſi ibi extiterint, In ſimplicibus autem & ferialibus diebus Canonicus Cantor intonet ipſe, vel ibi exiſtentibus Dñis Capellanis, eiſdẽ pro libito demandet, Si quando verò ex parte alterius Chori, vel per alterum ex Cantoribus deuentum fuerit ad diſtributionem Antiphonarum vni ex Capellanis, nullatenus poſteà aliæ Antiphonæ demandentur alicui ex Dominis Canonicis, ſed vel demandentur Capellanis, vel intonentur per ipſum Cantorem.

EX DVABVS MISSIS CANTANDIS, HEBDOMADARIVS CANTET *digniorem, ſequens aliam.*

30 ITem ſi quando contigerit aliqua die cantari duas Miſſas magnas, vt puta alteram pro Defunctis, & alteram de Sancto vel feria, Canonicus Hebdo-

domadarius cantet digniorẽ, & quæ non eſſet omittenda, vbi vna tantũ cantari poſſet, ſubſequens verò gradatim in ordine, aliam celebret, & idem ſeruetur, vbi contigerit eadem die tres miſſas magnas cantari.

DE MISSIS VOTIVIS CANTANDIS.

31 ITem ſi contingat cantari aliquam Miſſam votiuam, extra tamen horam Miſſæ magnæ Conuentualis, ſiuè de Virgine alijſuè Sanctis, aut ſimili, ſiuè pro defunctis, illa cantari poſſit, tàm per Dominos Canonicos, quã per Capellanos, prout opportunitas tulerit, vel fuerit voluntas celebrare facientis talem miſſam; exceptis tamen Anniuerſarijs, quæ debeant celebrari per Dominos Canonicos, & vbi extra horam Miſſæ Conuentualis aliqua Miſſa magna votiua occurrerit ex accidenti per Dominos Canonicos celebranda, prius id dicatur in Capitulo, vel detur aliquod ſignum per Campanarum pulſationem, vt omnes Canonici ita præmoniti, poſſint ſi voluerint tali Miſſæ intereſſe.

DE MISSA CANTANDA ETIAM EXTRA CATHEDRALEM *per hebdomadarium.*

32 ITem quòd vbi foret cantãda per ipſos Dominos Canonicos aliqua Miſſa magna votiua, vel pro defunctis extra Cathedralem, & in alia Eccleſia, illam cantare teneatur Hebdomadarius.

QVO MODO, ET TEMPORE HORAE RECITANDAE, *vel cantandæ ſint.*

33 ITem ſtatuunt, & ordinant, quòd prima dicatur poſt laudes immediatè, Tertia, & Sexta dicantur, vel cantentur ante Miſſam magnam, Nona autem poſt, in diebus verò ieiuniorum, & vbi prædicandum eſt, etiam Nona dicatur ante Miſſam magnam, & Completorium ſtatim poſt Veſperas dicatur.

DE ORDINE IN CELEBRANDIS MISSIS PARVIS OBSERVANDO.

34 ITem quòd Miſſæ paruę dicantur per ordinem, prout melius fieri potuerit, & quòd obſeruetur ordo Tabellæ ſaltem per tres Miſſas poſt primam, quæ celebrentur ſuper altaribus in tabella notatis. Prima verò celebretur ſemper ad altare maius, niſi aliquod impedimentum occurrerit, ſuper quo altare, quolibet die Lunæ dicta prima Miſſa debeat celebrari pro defunctis, Die verò Sabbati de Virgine Maria pro obſeruantia promiſſionis factæ in donatione quond. D. Aymoneti de Graſſis Canonici olim Caſalenſis: In diebus autem feſtiuis, prima Miſſa, quæ

celebratur

celebratur in aurora dicatur ſuper altari Beatæ Mariæ Virginis, ſubſequens verò miſſa ad Altare maius.

NE PLVS QVAM DVO IN SACRISTIA CAVSA CELEBRANDI *Miſſas paruas ſimul ſtent.*

35 ITem ſtatuunt, & ordinant, quòd nemo ſe veſtiat, aut paret occaſione celebrandi Miſſam paruam, dum celebrari, vel cantari in Choro debent; aut cantantur diuina officia, duobus exiſtentibus Canonicis in Sacriſtia paratis, occaſione pariter celebrandi Miſſam paruã & qui contrafecerit punctetur per punctatores pro illa hora qua ſteterit abſens à Choro.

DE COLLATIONE CAPELLANIARVM FIENDA PER CAPITVLVM.

36 ITem attendentes præfati Domini Præpoſitus, Archidiaconus, Canonici, & Capitulum, quòd tàm de iure, quàm ex antiquiſſima inueterata, præſcriptaq; conſuetudine collatio omnium, & quarumcumque Capellaniarum eiuſdem Eccleſiæ, ac inſtitutio de eiſdem, ſpectat & pertinet ad dictum Capitulum, prout etiam hactenus fuit obſeruatum & obſeruatur, ordinauerunt, & ſtatuerunt, ꝙ vacante quoquomodo de cœtero aliqua ex dictis Capellis fiat in ipſo Capitulo per eos ad quos de iure nominatio, electio, ſeu præſentatio in dicta Capellania inſtituendi, ac per ipſum Capitulum tantum fiat, ac fieri debeat, vt iuris erit, collatio, & inſtitutio & quòd vbi ex fundatione, dotatione, vel cõſtructione, ſeu dotationis vel iuriſpatronatus inſtrumento, alicui ex dictis Capellanijs erit annexus aliquis ordo ſacer, vel alia qualitas, ſeruetur fundatoris diſpoſitio, nec eiuſmodi qualitatibus derogetur, in his verò quibus, vel ex iurepatronatus fundatione, ſeu ex præſcripta conſuetudine non erit aliquis ordo ſacer annexus ſeruetur ius commune.

DE RESIDENTIA CAPELLANORVM.

37. ITem quòd obtinentes Capellanias in dicta Eccleſia, quibus ex fundatione, aut alias iure vel præſcriptione eſt annexum onus continuę perſonalis reſidentiæ, teneantur perſonaliter reſidere, & vbi illę vacare cõtigerint non conferantur, niſi qui fuerint ad illas inſtituendi iuramentum præſtiterint de peſonaliter in Choro eiuſdem Eccleſiæ continuè reſidendo cum Dominis Canonicis, & teneantur reſidere, Ac inſuper adiecta pœna, quòd ſi id non ſeruauerint, vltrà quòd tales non faciant fructus dictæ Capellaniæ ſuos pro rata, ſed teneantur illos perceptos reſtituere, diuidendos inter alios Capellanos reſidentes; poſſint etiam Capellanijs priuari.

De

DE PVNCTATORE PER CAPELLANOS ELIGENDO, ET *de diſtributione inter eos fienda.*

38 ITem quòd dicti Domini Capellani reſidentes in dicta Eccleſia, eligant ſuum punctatorem, tempore quo eliguntur Officiales Capituli, qui præſtito iuramento in manibus dicti Domini Præpoſiti, vel primi exiſtentis in Capitulo, de fideliter, & diligenter exercendo officiũ ſuum, ſingulis diebus & horis, inſpiciat, qui ex dictis Capellanis interfuerint reſidentes horis Canonicis, noterque, & punctet eos, qui defuerint in libro punctationis ab eo conficiendo, & ita in fine anni ineatur ratio, & iuxta vniuſcuiuſque reſidentiam computandam, vt inter Dominos Canonicos fieri ſolet, diuidantur pro rata inter ipſos reſidentes illę ducentum libræ Imperiales, quæ annuatim eiſdem Capellanis reſidẽtibus aſſignantur per Reuerendũ Maſſarium anniuerſariorũ cæteraq; emolumẽta, & diſtributiones ſi quæ diuidendæ occurrerint, ex quibus Capellani Sacerdotes habeant partẽ integram, Diaconi verò duas ex tribus, Subdiaconi verò vnam ex tribus partibus, quas habent Sacerdotes, iuxta cuiuſlibet reſidentiam pro rata ſecundum ſtilum hactenus ſeruatum.

DE CAPVTIO PER CAPELLANOS DEFERENDO.

39 ITem ſtatuerunt, & ordinauerunt, quòd dicti Venerabiles Capellani, tàm in reſidendo in Choro, quàm in interueniendo proceſſionibus per annum fiendis iuxta oportunitatem temporis, ac factorum contingẽtiam, & alijs actis publicis, vel etiam in ipſa Eccleſia cum Dominis Canonicis, cũ quibus interuenire debeant, & teneantur, debeant deferre ſuper ſuperpelliceo capuciũ panni violacei coloris, quòd ſi illud non detulerint iuxtà conſuetudinem hactenus obſeruatam amittant emolumenta, quæ aliàs lucrarentur, & vlterius ſubeant, qui reſidere tenentur vt ſupra, pœnas in ſuperioribus ſtatutis indictas.

DE MISSIS PER CAPELLANOS SVPER *proprijs Altaribus celebrandis.*

40 ITem quod obtinentes Capellanias in dicta Eccleſia, ſiuè Canonici fuerint ſiuè ſimpliciter Capellani, teneantur celebrare per ſe, vel per alios Miſſas diebus ſtatutis in eiuſdem fundationibus, aliàs pro qualibet vice, in die feriali ſoluant ſolidos octo Imperiales, feſtiuo verò ſexdecim in manibus Reuerendi Domini Maſſarij Collegij, capiendos in fine anni per dictum Dominum Maſſarium, ſuper diſtributionibus eiuſdem Collegij, quas eo anno lucratus eſſet talis Canonicus, ſeu Capellanus, aut ſuper redditibus alijs præfati Capellani deficientis, niſi quis ſolitus ſubire ſua onera, & miſſas celebrare debitas, in morbum incideret, vel aliàs eſ-

ſet abſens pro negotijs Eccleſiæ, nam dictis infirmitate, & impedimento durantibus, licet non celebraret die vel diebus ſtatutis nullatenus erit puniendus (& ſi nequeat non celebrans etiam ex cauſa, participare de Collegio) & vbi foret diu duratura abſentia, vel infirmitas teneatur per alium Miſſas debitas celebrari facere. Et pariter teneantur obtinentes Capellanias ſuis diebus prædictas Miſſas celebrare ſuper proprijs Altaribus, aliàs habeantur ea die per Dominum Punctatorem Miſſarum, ac ſi non celebraſſent, & ita amittant illius diei diſtributiones Collegij Miſſarum, niſi fortè alicui Canonicò Capellano, veluti Canonico Sacerdoti contigeret Miſſam magnam, vel aliam ſuper alio altari de ordine eiuſdē Capituli celebrare, quo caſu licet non celebraret ſuper proprio altari excuſetur, nec quas pœnas luat.

DE CELEBRATIONE MISSARVM AD ALTARIA *Capellaniarum per Capitulum aſſumpta.*

41 Item vbi contigerit per dictum Capitulum aſſumi onus celebrandi Miſſas vnius vel plurium Capellaniarum, teneantur omnes participantes de redditibus dicti Collegij tàm Canonici, quàm Capellani, & Curati gradatim celebrare Miſſas ſuper proprijs Altaribus earundem Capellaniarum, diebus in earum fundatione ſtatutis, admoniti ſaltem per Dominum Punctatorem Miſſarum, aliàs per eum habeantur, & notentur, ac ſi ea die non celebraſſent.

DE OBTINENTE PLVRES CAPELLANIAS.

42 Item ſi cuipiam contigeret onus celeberandi plures Miſſas eodem die ob Capellanias, quas obtineret, vtputa, quia duas vel plures in eadem Eccleſia, & ſub eodem tecto obtineret, teneatur omnes tales Miſſas celebrare, uel celebrari facere per alios reſpectiuè dicta die, ſub pęnis ſuperius impoſitis, habita ratione, quot Miſſas celebrare debeat ea die.

DE PRIMA MISSA QVOTIDIE AD ALTARE MAIVS CELEBRANDA.

43 Item quòd dicti Domini teneantur celebrari facere quotidie primā Miſſam Super Altare maiori, prout hactenus obſeruatum fuit, niſi aliquod legitimum occurrerit impedimentum.

DE PARTICIPANTIBVS EX REDDITIBVS COLLEGII.

44 Item quòd in diſtribuendis fructibus, & redditibus Collegij obſeruentur diſpoſita, & ordinata in illius erectione, nulluſque valeat participare de fructibus, & diſtributionibus eiuſdem Collegij, niſi obtineat Ca-

nonicatum

nonicatum , vel aliquam Capellaniam in eadem Eccleſia, vel ſaltem aliquam Parrochialem in Ciuitate.

DE INDEMNITATE PRAESTANDA PER *Capitulum pro debitoribus in exigibilibus.*

45 Item quòd ſi contigerit quē ex Dñis Canonicis, ſeu dignitatibus nō poſſe exigere nomina debitorum, quæ fuerint ſibi per Dominos Maſſarios reſpectiuè annuatim aſſignata, tàm in tritico, quàm in vino, & pecunijs, & alijs huiuſmodi, teneatur Reuerendum Capitulum ex communi maſſa, cuiuſque officij reſpectiuè, vnde fuerint talia nomina aſſignata tali Canonico, ſeu dignitati ſatisfacere, tàm pro principali ſecundum communem valorem fructuum reſpectiuè currentem, quàm pro expenſis ſi quæ contigerint in lite fieri, & non potuerint à debitoribus repeti, hac tamen lege & conditione, quod teneatur vnuſquiſque infrà quatuor menſes poſt reſpectiuè receptas liſtas à Dominis Maſſarijs, conuenire debitores, vbi opus erit iudicialiter, & eos ad ſolutionem vrgere, omnes actus iudiciales vſque ad executionem incluſiuè faciendo, aliàs quòd elapſis dictis terminis, non teneatur dictum Capitulum in aliquo, ſed tali non curanti vt ſupra exigere imputetur, ſi poſteà non poterit à debitoribus ſolutionem conſequi, niſi tamen in dicto termino fecerit iudicialiter quicquid potuerit, & cauſa nequiuerit expediri, vel ob cauillationes debitorum, vel aliter ſine culpa Domini creditoris.

DE APPELLATIONIBUS PER CAPITULUM *proſequendis contra debitores.*

46 Item quòd ſi contigerit, quod aliquis ex dictis debitoribus aſſignatus alicui ex dictis Dominis, condemnatus in hac Curia ad ſolutionem, appellaret ad ſanctam Sedem Metropolitanam, vel Apoſtolicam, tunc teneatur Capitulum illi Canonico, cui fuerit tale nomen aſſignatum ſatisfacere, & litem ſeu lites, nomine & expenſis Capituli in dictis Curijs, ſeu alibi extra hanc Ciuitatem peragere, niſi tamen præceſſiſſet culpa ipſius Domini creditoris indebitè agentis.

NE IS DE CUIUS INTERESSE TRACTATUR *in Capitulo, tunc ibi remaneat.*

47\. Item quòd vbi contingeret aliquod in Capitulo tractandum, in quo ageretur de intereſſe particulari alicuius ex dictis Dominis Præpoſito, Archidiacono, & Canonicis, ſiuè intereſſe eſſet pecuniarum, ſiuè alterius cuiuſuis generis, cum non ſit conueniens, quod talis interueniat in

huiuſmodi

huiuſmodi negotio per Capitulum pertractando, ne ob proprium intereſſe, ſeu paſſionem, tractatum interrumpat, vel cœteri Domini fortè non audeant liberè dicere quid in tali cauſa ſentiant, & quod expedit vtilitati Capituli, ne inimicitias contrahant; quòd talis ſiuè Dominus Præpoſitus, ſiuè Dominus Archidiaconus, ſeu quilibet ex Dominis Canonicis, teneatur, & debeat præmonitus, de Capitulo egredi, & vbi id facere noluerit punctetur per dies decem.

DE LOCATIONIBVS PER MASSARIVM *ſine ſcriptis non conficiendis.*

48 ITem quod vbi contingat per aliquem ex Dominis Maſſarjs locari alicui perſonæ ad ſimplicem locationem, vel aliter ſub penſione concedere prævio etiam tractatu in Capitulo, aliqua bona ipſius Capituli, vel Eccleſiæ, prout hactenus ſæpius contigit, teneatur, & debeat omnino de tali locatione, ſeu conceſſione curare, quòd conficiatur ſcriptura, inſtrumẽtum ſcilicet, vel ſaltem appocha iuridica, & per teſtes ſubſcripta, vt poſſit quando opus erit de tali contractu, in iudicio vel alibi, fieri fides & conductor ad ſolutionem fictus, vel obſeruantiam promiſſorum cogi, aliàs, quod vbi non conficeretur ſcriptura, & poſteà debitor contractum, vel eius qualitates negaret, vel aliter non poſſet cogi ad ſolutionem, vtpotè cum non poſſet de pactis, & conuentione inita conuinci, teneatur dictus Dominus Maſſarius de proprio ſoluere, reficereq; damnum, & intereſſe, quòd ideò pateretur Capitulum.

DE RATIONE CONFERENDORVM CANONICATVVM *in menſibus ad Capitulum ſpectantibus.*

49 CVm Eccleſiæ Cathedralis Canonici, & veteri conſuetudine, & iure ipſo conferendorum Canonicatuum, menſibus, Martio, Iunio, Septembri, & Decembri vacantium, facultatem habeant, ut poſthac idoneis, digniſque perſonis conferantur, & omnia in hoc munere non mediocris momenti, omni cura, & diligentia præſtanda, ad vnam Dei gloriam & Capituli vtilitatem referantur, id quod ita fiet, ſi qui ad has Dignitates promouentur Dei timorem ante oculos imprimis habeat morumq; integritate valeant. Nos ideò Eccleſiaſticæ diſciplinæ conſulentes, ſtatuimus & ordinamus, ne quis in poſterum Canonicorum, neq; voce, neque tabellis, neque calculis, aut quouis alio modo promittat, aut ſpem de ſuo ſuffragio cuiquam inijciat, neque capitulariter, ſeu in comitijs, neque priuatim vllam ſuæ voluntatis in Canonicorum ordinem alicuius cooptandi ſignificationem det, antequam Canonicatus vacet, cum præſen-

tales præſentationes, & electiones,& omnes beneficiorũ promiſſiones à ſacris Canonis prohibeantur, atque damnentur. Prætereà quicunque huic noſtræ Conſtitutioni, ſiuè capitulariter, ſiuè priuatim vna cum alijs, ſiuè ſolus repugnarit, volumus vt per ſex menſes fructibus, quotidianiſq; diſtributionibus priuetur; qui fructus, & diſtributiones cęteris Canonicis, qui huic voluntati non fuerint aduerſati applicentur, ſi verò totum Capitulum repugnarit, tunc Sacriſtiæ vſui & vtilitati, omnes fructus addicantur, Verum quia optimum factu eſſe putamus, ſi certa quædam forma in futurum cooptandi dabitur, Decernimus, quòd ſi fortè quatuor menſibus iam dictis,aliquis Canonicorum deceſſerit, ne ad ſucceſſoris electionem prius veniatur,antequam demortuus Canonicus ſepultus ſit, debitiſque exequijs decoratus, hoc interim ſpatio admoneantur Canonici, vt Præpoſiti, aut illo abſente primi exiſtentis mãdato, ad horam ſequentis diei conſtitutam, futuræ electioni omnes interſint, quo quidem die dabitur ſignum maiori Campana dimidio horæ ſpatio, & ſimul atque Campana ſonare deſierit, Spiritus ſancti Miſſa cantabitur; eaque expleta Canonici in Sacriſtiam ſtatim conueniant, præſenteſque tantum conferendi ius habeant, abſentes verò, aut morbo, aut alia quauis re impediti, quamuis legitima, dicendæ ſententiæ ius non habeant, & illã neque ſcriptis, neque quouis alio modo mittere poſſint: Poſthæc dicetur Hymnus Veni creator: Cum oratione Deus qui corda fidelium &c. His rebus omnibus peractis Præpoſitus, Archidiaconus, & Canonici, qui ad Canonicatum apti idoneiq; videbuntur eos proponent, ſeruata tamen ordinis prærogatiua, itaut vnicuique vnum aut plures nominatim, vt ei videbitur, nominare liceat,cuius nominatio à Canonicorum poſtremo,aut ab eo,qui eſt à ſecretis in album referetur, liceat autem cuique antequam ſuffragia ferantur nominati vitia, & inhabilitates promulgare, & patefacere, eaſq; admonitiones & conſilia dare, quæ ſua conſcientia dictabit. Deinde incipient ferri ſuffragia de eo, qui primum fuerit nominatus, & ab vltimo Canonico vel à Secretario omnium ſententiæ, ſiuè pro, ſiuè contra fuerint, diligenter ſcribetur.At verò ne dolus,aut error inſit,numerãdis ſñijs, & electioni, interſint ſaltem quinque ex Capituli Canonicis. Hæc autem forma ſeruabitur in omnibus nominatis,Poſteà verò quam ſuffragia de omnibus lata fuerint, inter Canonicos is cooptatus intelligatur, pro quo plures dictæ fuerint ſententiæ, cum hoc tamen, vt dimidiam calculorum, ſeu ſuffragiorum partem excedat. At ſi nominatorum nemo dimidiam partem excederet, ferantur de iiſdem iterum ſuffragia, alijquè denuò eligantur,donec aliquis illorum dimidiam ſuffragiorum partem obtineat, Quod ſi vſu veniret, vt alij totidem haberent ſententias, tunc iterum de ambobus ſuffragia ferantur, alijque nominentur,vt maiori Capituli parti expedire viſum fuerit. Cęterum Canonici à Capitu-

lo

lo ne diſcedant, donec electio fuerit ſecuta eo ordine, quem præſcripſimus, niſi de maioris partis conſenſu dimiſſo Capitulo, & ſi qui ante diſceſſerint ſuffragij uis amittant, qui verò remanſerint, dummodo duæ partes ex tribus ſaltem ſint, conferre poſſint, eorumque ſententia, & collatio, ita valeat, tantumq; ponderis habeat, ac ſi à toto Capitulo facta fuiſſet. Collationes omnes quæ ſine hac forma factæ fuerint nullæ, & planè irritæ ſint, & pro infectis habeantur, Neque verò electus, & cooptatus ius aliquod acquirat, neque in petitorio, neque in poſſeſſorio, ſed toties Capitulum agatur, donec hic ordo fuerit ſeruatus, Liceat autem ipſis Dominis, & Capitulo de duarum partium Capituli conſenſu ſi ita expedire, occurrente vacatione aliqua, ex aliqua rationabili cauſa videbitur, anticipare tempus collationis fiendæ, etiam antequam demortui Canonici cadauer ſepultum ſit, & etiam non celebrata miſſa, dummodo circa conuocationem ipſorum Dominorum ac in ſuffragijs dandis, & electione fienda, præſcriptus ordo ſeruetur. Poſtremò, ſtatuimus, & decernimus, vt cum recens electus Canonicus poſſeſſionem capiet, hoc ipſum ſtatutum ad verbum legat, iuretq; ad ſancta Dei Euanglia, ſe hęc omnia ſanctè fideliterque ſeruaturum ſub pœnis in ipſo ſtatuto contentis, & expreſſis, & ſub pęna periurij &c.

Quæ petierunt, & requiſiuerunt debita cum inſtantia, & reuerentia à præfato Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo D. D. Epiſcopo approbari, & cōfirmari; vti iuri, & ſacris Canonis conſona. Et præfatus Illuſtriſſimus & Reuerendiſſimus D. Epiſcopus, uiſis & diligenter perſpectis, & conſideratis præfatis oībus ſtatutis, ea oīa, auctoritate ordinaria, & omni meliori modo approbauit, approbat, & cōfirmat, Et quæ ſtatuta, ſic vt ſupra confirmata, dicti Domini Præpoſitus, Archidiaconus, & Canonici promiſſerunt, & promittunt perpetuo, & inuiolabiliter attendere & obſeruare, & pro poſſe obſeruari facere, Iurantes tactis pectoribus, &c. & inde rogarunt inſtrumentum, pręſentibus Venerabilibus Pręsbiteris Hieronymo Tartis Sacriſtano, & Bernardino Macetto ambobus Capellanis dictę Cathedralis, Teſtibus &c.

Ego Io. Iacobus ab Eccleſia fil. quon. D. Beltrami, Ciuis, Cauſidicus, & Notarius publicus Collegiatus Caſalenſis, dictiq; M. Reuerendi Capituli Secretarius, ſupraſcriptum inſtrumentum, manu aliena licet ſcriptum, rogatus recepi, ideò hic me, facta prius diligenti collatione cum prothocollo meo, & concordantia vtriuſque viſa; pro fide tabellionaliter, ſubſignaui.

13400


S' NATALIS.
S EVASIVS.
S PROIECTVS.

Haouba Caoh lis

AN baur mear

Ai

86

PRO